

contradictione factum ratum habuit et lubentissime confirmavit, ideoque licet aegre nunc fiat timendo consequentiam, ut serenissimus in posterum id ipsum in similibus casibus urgeat, subituri tamen periculum consensimus et iam litterae ad serenissimum abierunt ad ratificationem postulationis faciendae pro securitate actus prius realiter obtinendam. 4) Quarto nil dubitetur, si contingerat, quod deus avertat, fratres unum vel plures conventum turbare vel refractarios esse, ac si propter separationem, mutationem aut poenam aliquam modo quocumque opus sit domino abbati nos ad hoc legitime requirenti tam ex parte serenissimi dom. ordinarii, quam a congregationis nostrae Alsaticae abbatibus omnem debitam assistentiam et auxilium praestitum iri. Sic certo confidimus et promittimus. Rogantes saltem hisce rev. cels. vestram instantissime monasterio hoc interregni tempore cum non modico suo damno et maiori periculo, penitus turbato per sollicitos duos patres propediem ac mature gratiose succurrere. Quandoquidem dum factis non valemus, votis nostris promereri studebimus ferventissime, dominum deum deprecantes pro incolunitate omnisque felicitatis conservatione vel adauktione, tam rev. et ill. vestrae celsitudinis. Quam commissi sibi conventus, quorum simul ad optatum eventum sumus servi addictissimi et paratissimi: Georgius Albanus Mayer, doctor, vicarius generalis, m. pr. Thomas abbas in Altorff, congregationis visitator m. pr. Molzhemii die 7. Junii 1653.

Abchrift in Ettenheim-Münster'schen Briefbuche Nr. 7 (Copiebuch Nr. 329*).

37. Manifest des Fürst-Abtes Pius Neher von St. Gallen über die Ernennung des Franz Hertenstein zum Abte von Ettenheim-Münster, d. d. St. Gallen, 19. Juni 1653.

Pius, dei et sedis apostolicae gratia abbas monasterii s. Galli etc. omnibus has nostras inspecturis, lecturis salutem et notitiam infrascriptorum. Cum rev. et rr. pp. administrator ceterique capitulares monasterii ss. Ettonis et Landelini, ordinis s. Benedicti, dioecesis et congregationis Argentinensis, abbatiae suae per cessionem ultimi d. abbatis vacanti provisuri viam compromissi elegissent, et publico desuper erecto instrumento promisissent, eum in suum abbatem recipere et ut tali omnem reverentiam et obedientiam exhibere, quem nos illis de nostro conventu nominaturi, designaturi ac transmissuri essemus, litteris supplicibus deprecantes, ut, ne votis ipsorum deesse vellemus, prouti tam in instrumento, quam litteris praefatis, nec non et in lit-

teris, abs rr. dd. vicario generali dioecesis Argentinensis et supradictae congregationis abbatibus ad nos desuper quoque datis, plenius continetur. Nos etsi religiosorum nostrorum opera ob multas et diversas monasterii nostri occupationes et necessitates aegre careamus, ne tamen praetentum dei honore ac s. ordinis nostri bonum negligere voluisse videremur, petitioni praefatorum administratoris et capitularium annuentes, admodum rev. et rel. p. Franciscum Hertenstein Rosacensem, monasterii nostri s. Galli hactenus suppriorum, de legitimo toro natum, multis iam annis in sacerdotio, in aetatis vero suae anno quadragesimo tertio constitutum, doctrina et moribus nobis sufficienter cognitum et probatum, nec ulla censura ecclesiastica, aut alio canonico impedimento, quantum quidem nobis constat, obstructum, in abbatem supradicti monasterii ss. Ettonis et Landelini de consilio et consensu conventualium nostrorum, nominavimus et designavimus ac tenore litterarum praesentium nominamus et designamus ipsoque facto admodum dictum monasterium transmittimus, ea spe freti, fore, ut religiosi Ettoniani praefatum p. Franciscum, sicut praefertur, in abbatem nominatum ac designatum conformiter suis instrumentis et litteris sint veluti ipsorum deinceps abbatem recepturi, acceptaturi et habituri, aliaque facturi, quae scriptis et viva voce promiserunt ac nos ab ipsis in his scriptis exigimus. Actum in monasterio nostro s. Galli die 19. Junii, anno 1653.

Ego p. Chrysostomus, publicus notarius juratus, qui publico actui supra insertae nominationis et designationis interfui, requisitus et rogatus subscripsi.

Original in dem Ettenheim-Münster'schen Briefbuche Nr. 7 (Copiebuch Nr. 329*)

38. Befehl des Abtes Pius von St. Gallen an p. Ambros Negelin, d. d. 18. Juni 1653.

Pius, dei et apostolicae sedis gratia abbas monasterii s. Galli, r. p. Ambrosio Negelin, oeconomus Ebringensis, salutem et infrascriptorum executionem. — Cum relatio p. decani et tua, de monasterio Ettoniano, ordinis s. Benedicti, dioecesis et congregationis Argentinensis, facta, non exiguam spem fructus alicuius inibi faciendi tam in spiritualibus, quam temporalibus nobis afferat, ad instantiam rr. et reverendissimorum patrum capitularium dicti monasterii Ettoniani in abbatem nominatum et designatum rev. p. Franciscum Hertenstein, monasterii nostri professum et suppriorum, illic amandamus, una cum priore p. Conrado Holtzapffel* etc. Qui simulac

* Der Abt Franz und der Prior Conrad Holtzapffel wurden in St. Gallen, obgleich sie seit 1653 in Ettenheim-Münster waren, noch immer als St. Galler Conventualen angesehen. Beim Tode